

72. Non vacat diutius huic disputationi historicae potius quam doctrinali inhaerere. Ad scopum nostrum sufficiat animadvertisse sequentia :

1<sup>o</sup> Laus a Pio IX S. Doctori tributa (n. 70) quod inter implexas Theologorum tum laxiores, tum rigidiores sententias, tutam viam animarum moderatoribus munierit, manifeste tribuitur universae doctrinae morali S. Alphonsi, quatenus practicam regulam confessario suppeditat. Id autem praestitit sapienti moderatione qua totius Theologiae Moralis quaestiones ponderavit, rejectis tum rigoristarum eo tempore vigentium placitis, tum mollioribus quorundam probabilistarum sentiis, multo magis quam illo discrimine quod in systema suum probabilitatis induxit. Nam illa mutatio ad praxim parum contulit : siquidem, si S. Doctor moderatum probabilismum semper aperte propugnare perrexisset, opera ejus, moraliter loquendo paucisque locis exceptis, fuissent qualia nunc sunt. Immerito igitur recentiores quidam aequiprobabilistae, ut Aertnys (Th. Mor. I. n. 99) contendunt hanc laudem Pii IX potissimum convenire systemati S. Doctoris quatenus reliquis omnibus et speciatim probabilismo puro opponitur. Imo, si constaret S. Alphonsum omnino, et non specie tenus tantum, tenuisse aequiprobabilismum et a probabilismo puro recessisse, minime sequeretur hunc fuisse ejus doctrinae approbatione implicite reprobaturum. Etenim ex eo quod aliqua doctrina proclamatur tuta, minime sequitur doctrinam benigniorem reprobari : qua in re apparet prorsus diversam esse rationem probabilismi et probabiliorismi, qui si practice propugnaretur, doctrina S. Doctoris dicenda esset minime tuta.

2<sup>o</sup> Reapse videtur S. Alphonsus in ultimis operibus suis aequiprobabilismum aperte docuisse, saltem si verbis quae adhibet nativum suum sensum tribuimus. Sic in Tr. de Consc. (n. 59) : “ Duabus aequabilibus opinionibus concurrentibus, ... opinio illa quae stat pro libertate, cum aequali potiatu probabilitate ac opposita, quae stat pro lege, grave immittit dubium an existat lex, quae actionem prohibeat, ac proinde sufficienter promulgata minime dici potest, ideoque, dum, eo casu, promulgata non est, nequit obligare. ” Et (ib. n. 56) : “ Si opinio quae stat pro lege, videatur certe probabilior, ipsam omnino sectari tenemur : nec possumus tunc oppositam quae stat pro libertate, amplecti. ” Insuper expresse profitetur se recedere a sententia quam plerique Jesuitae de probabilismo tenuerant. Sic scribit 30 Junii 1768 ad editorem suum Remondinium : “ Meum de probabili opinione systema diversum est a systemate Jesuitarum ; ego enim nego licitum esse opinionis minus probabilis usum, ut talis agnitae ; Busebaum, La Croix et plerique Jesuitae, quibus minus probabilis usus licitus probatur, id affirmant. ” Et alibi : “ Hanc sententiam (licere sequi opinionem minus probabilem pro libertate, licet opinio pro lege sit certe probabilior) elapsi saeculi

auctores quasi communiter tenuere ; sed nos dicimus eam esse laxam et licite amplecti non posse. ” (H. A. tr. I. n. 31) Jamvero, si haec verba in sensu suo obvio sumantur, concludi posset cum P. Gaudé (op. cit. n. 87) : “ Ex sola hac improbatione, irrefutabile utique habetur argumentum, eum a priori sententia, id est a simplici probabilismo, recessisse. ”

3<sup>o</sup> Ex altera tamen parte, S. Alphonsus videtur persensisse non tam latum discrimen vigere inter opinionem quam in posterioribus operibus propugnavit et illam quam in prioribus tuitus erat ; imo explicationibus datis discrimen hoc plurimum extenuavit. Nam anno 1765 (Apologia cit.) declarat se nullam substantialem immutationem induxisse, nec recedere velle a solidis probabilistis : “ Ego non contendi, nec contendo nova systemata condere, et bene novi nullum probabilistam solidae doctrinae ut licitum tradere usum opinionis tenuiter vel dubie probabilis. Sed, quia multi probabilistae sine distinctione dicunt, licere sequi opinionem minus probabilem... ideo volui distinguere, statuendo quod non liceat sequi opinionem minus tutam quando notabilis et certus est excessus probabilitatis pro tutiore. ” Rationem autem hujus novae sententiae sic affert (Theol. Mor. de Consc. n. 56) : “ Dum opinio pro lege est certe et sine ulla haesitatione probabilior, tunc opinio illa non potest esse nisi notabiliter probabilior. Et eo casu opinio tutior non erit jam dubia (intellege de dubio stricto, ut in altera quaestione dicemus), sed est moraliter aut quasi moraliter certa ; saltem nequit dici amplius stricte dubia, cum pro se certum habeat fundamentum quod ipsa sit vera. Unde tunc fit quod opinio minus tuta, quae certo fundamento caret, remaneat aut tenuiter aut saltem dubie probabilis respectu tutioris. ” Unde concludit D’Annibale (I. n. 261. nota 30) : “ In summa S. Doctor opinionem certo probabilioris accipit probabilissimam. Sane, si non ad hanc pertingit, non caret dubio practico, atque ideo S. Doctori objici posset quod ipse non semel objicit probabilioristis : nempe sententiam, etsi certo probabilioris, non carere periculo peccandi formaliter. ”

Ex his aliisque pluribus quae videri possunt apud Ball. P. (Diss. cit.) vel Bouquillon (Theol. Mor. fund. p. 570 seqq.), patet saltem non esse constantem et apertam oppositionem inter doctrinam S. Alphonsi et probabilismum nostra ratione explicatum. Quare scribit rectissime D’Annib. (I. n. 263. nota 10), qui tamen aliud systema sequitur circa usum opinionum probabilium : “ Sunt qui putant propositionem hanc cl. Gury (ipsam scil. thesim nostram) explodendam esse quasi laxam, ex S. Alphonsi doctrina ; quod vix credibile dictu est. Ergo ex S. Alphonsi doctrina grave erit eam sequi. Atqui S. Alphonsus perpetuo docuit : “ Ut non sit peccatum grave, sufficit ut vera probabilitas habeatur, intelligo illam quae fundamento non tenui nititur, ut tuto (juxta communem sententiam), seposita quaestione de probabiliori et minus probabili, possit



teneri et doceri... Ergo praeter aequiprobabilismum et probabiliorismum, hodie nullum aliud superest morale systema, quod licite defendi et sequi possit, ideoque probabilismus moderatus exhibendus erit; tenendumque est turpiter errasse Theologos prope innumeros omnium Ordinum, et in primis O. PP. et S. J. inter quos tot pietate insignes, ingenio, doctrina, consilio praestantissimos, qui ei nomen dederunt? Et si ita est, ubi nam est systema illud morale quod in Ecclesia catholica catholice defendi a Clemente XIII a. 1761 ipsimet S. Alphonso responsum est? Et si illorum sententia laxa dicenda est ex S. Alphonsi iudicio, dicant (nam ante S. Doctorem inter probabilismum moderatum et tutiorismum seu probabiliorismum nihil fuit tertium) (1), quoniam est sententia illa quam ipse ann. 1748, 1755 tuendam suscepit quasi pro aris et focis, quam "communissimam et probabilissimam", appellavit (Dissert. de usu mod. opin. prob.), "quae per duo fere saecula labores tot sapientum exhaustit; quaeque ipse ignorabat quomodo posset rejici", (Theol. Mor. Edit. 1762, 1763. Praef. ad lect.).

**73.** Restat ut breviter dicamus de **systemate aequiprobabilismi** in se inspecto. Dupliciter, ut patet ex ejus expositione facta n. 59, a nostro discrepat. Hic agemus tantum de praecipuo discrimine: quod scilicet negant ejus fautores manere probabilem opinionem pro libertate quando opinio pro lege est certe probabilior. Nam de distinctione quam faciunt inter legem existentem et legem cessantem dicitur infra n. 76.

Si prius illud aequiprobabilistarum assertum practice spectatur, sine magno incommodo transmitti potest. Nam ut aliqua opinio constanter ab auctoribus censeatur probabilior, vix non est necesse ut sit probabilissima, contraria autem tenuiter tantum probabilis. Etenim, si haec pro se haberet motivum grave ac solidum, non deessent qui eam alteri praeferrent, atque ita excessus ille probabilitatis facile evaderet dubius. Id vel ex ipsis libris aequiprobabilistarum comprobatur. Hi enim, quamvis fundamentalem theoriam adstruant saltem specie tenus a nostra diversam, practice (exceptis casibus in quibus intervenit principium possessionis) vix in particularibus solutionibus a nobis discrepant: quod liquido ostendit exiguum discrimen principiorum a quibus probabilistae puri et aequiprobabilistae ordiuntur. Et quamvis suam sententiam tam-

(1) Non defuere qui ante S. Alphonsum probabilismum ea ratione explicuerint quam in fine vitae S. Doctor adoptavit. Hi tamen generatim probabilistis accensebantur, eo quod discrimen illud non tantum videbatur ut systema peculiare propugnare censerentur. Neque hi magno erant numero, sed pauci, ut fatetur S. Alph. (Hom. Ap. tr. I. n. 31) et fusius videre est in Period. Oenipont. *Zeitschrift für katholische Theol.* (an. 1895) artic. Doct. Ph. Huppert, *Probabilismus oder Aequiprobabilismus*.

quam systema diversum opponant probabilismo absoluto (Aertnys, I. n. 104), postea fatentur S. Alphonsum, quem omnino sequi se gloriantur, non condidisse novum systema, sed tantum majore perfectione exposuisse antiquum probabilismum. (id. n. 120).

Attamen, theoretice et in rigore verborum sumpta, assertio haec falsa videtur. Nam perperam supponit fieri non posse ut aliqua sententia pro lege sit certe probabilior, et tamen sententia pro libertate nitatur motivo gravi quod nullatenus ab adversariis solvi possit vel auctoritate quae sit omni exceptione major: quod ad veram probabilitatem fundandam sufficit.

Insuper in hoc systemate magnum illud incommodum reperitur quod cogit ad comparisonem inter varios probabilitatis gradus: qua re nihil fallacius et instabilius. Optime hoc punctum tangit Terillus (de Conse. prob. q. 23. n. 2): "Praesens quaestio, quantum spectat ad minorem probabilitatem directam, non est tanti momenti, quanti plures putant, quia raro est necessaria pro praxi, siquidem plurimi nequeunt discernere quoniam ex contrariis opinionibus sit probabilior. Deinde ipsi etiam docti, dum putant unam opinionem esse altera probabilior, plerumque solum probabiliter ita judicant: quia quod uni probabilius est, id alteri minus probabile apparet... Haec observatio locum etiam habet quando scitur quoniam ex contrariis opinionibus sit quoad nos extrinsece probabilior: quia adhuc non constat quod illa quae majori fulcitur auctoritate melioribus rationibus confirmetur, cum non desint qui has illis praeferant et contra. Parum ergo interesset pro praxi, etsi concederemus quod nulli liceat sequi opinionem quam actu reputat directe minus probabilem, modo ex partibus aequae probabilibus licitum sit quaecumque amplecti; quia unusquisque fere semper potest suspendere iudicium de majore probabilitate illius partis et utramque ut aequae probabilem considerare atque ita sectari nunc quod paulo ante minus probabile reputabat. Plurima exempla quibus haec confirmetur affert D'Annib. (I. n. 266, nota 23): "Docet Lessius non esse illicitum suadere minus malum parato gravius inferre: haec sententia S. Alphonso probabilior (II, 57), satis probabilis (V, 77), non improbabilis (H. A. VIII, 7) visa est. Ita ea sententia quae docet cessare votum si ea supervenerit mutatio rerum, qua ab initio exstante aut praevisa, non vovisses, cum semel et iterum S. Doctore "probabilis", (III, 187, 198) et subinde "forte probabilior", (n. 266) visa fuerit, demum quasi "certam", eam tradidit (n. 720).

**74. OBJECTIONES.** — Paucas tantum proponemus: solent enim plures a Philosophis in Logica refelli. Prima a probabilioristis, reliquae ab aequiprobabilistis opponuntur.



**1° Obj.** Qui se exponit periculo violandi legem peccat. Atqui id facit quicumque sequitur opinionem mere probabilem faventem libertati. Ergo.

**Resp. a)** Nulla datur lex quae nos obliget ad vitanda omnia pericula legem etiam materialiter violandi. Secus enim ne opinionem quidem probabilissimam sequi possemus, ut volebat prop. 3<sup>a</sup> ab Alex. VIII damnata (cit. n. 67). Hinc adversariis probandum esset nos imprudenter agere quando, ducti opinione vere et practice probabili, nos exponimus periculo materialiter transgrediendi legem.

**b)** Distingui potest cum S. Alph. aliisque multis inter legem antecedentem et legem consequentem. Per antecedentem Deus concipitur disponere de rebus independentem ab errore mentis humanae, ex. gr. jubet abstinere a fornicatione; per consequentem, concipitur eas ordinare respectu habito ad hunc errorem, ex. gr. non vult hac lege comprehendere eum qui in ignorantia invincibili legis vel facti versatur, puta eum qui, nullitatem matrimonii a se contracti ignorans, copulam habet cum muliere quam putat suam. In hoc sensu negari potest dari periculum transgrediendi legem hanc consequentem quae sola hominem in concreto obligat.

Similiter fere respondendum huic difficultati: In dubiis datur lex tutius sequendi.

**2° Obj.** Principium probabilismi: "Lex dubia non obligat", nequit applicari quando opinioni probabili opponitur altera certe probabilior: tunc enim jam non est verum seu strictum dubium.

**Resp. a)** Principium istud, ut e sensu communi et thesis probatione liquet, de omni dubio, quod solido motivo nitatur, procedit; nequit ergo, sine manifesta petitione principii, ad solum dubium aequale restringi.

**b)** Etiam si mens adhaeret existentiae legis tamquam certe probabiliori, lex manet prudenter dubia. Etenim tum a dubio stricto sumpto, tum ab opinione, totalem adhaesionem mentis excludit prudens errandi formido. Id confirmatur e ratione qua S. Th. (de Veritate, q. 14. a. 1) describit statum mentis opinantis, ubi pro una parte motiva solidiora apparent quam pro altera: "Quandoque intellectus inclinatur magis ad unum quam ad alterum; sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc quod determinet in ipsum unam partium totaliter, unde accipit quidem unam partem, tamen semper dubitat de opposita, et haec est dispositio opinantis qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius."

**3° Obj.** Quando opinio pro lege est certo probabilior, opinio pro libertate veram probabilitatem amittit. Etenim probabilitas major ea parte qua minori aequatur, hanc jam prorsus elidit et detrudit ad locum dubii, quia, si esset aequalis alteri, foret dubium strictum. Igitur ea parte

qua minorem excedit, ipsam infra dubium deprimit seu improbabilem reddit.

**Resp. a)** Regulariter nullatenus continget hujusmodi elisio, nempe quoties motiva utriusque sententiae oppositae non desumuntur ex eodem termino medio, puta dum desumuntur e diversis documentis, rationibus, auctoritatibus. Quare in intellectu non habebitur unus effectus indivisus, sed tria elicientur judicia: duo de probabilitate utriusque partis contradictoriae, tertium de suspendendo assensu firmo et certo ipsi rei de qua inquiritur secundum utramque partem. (Arendt, op. cit. p. 290)

**b)** Quandoque elidi potest motivum unius sententiae per motivum sententiae certo probabilioris, vid. quando utrumque ex eodem fundamento desumitur, ex. gr. ex eodem documento S. Sedis, ex eadem scientia naturali, etc. Sed tunc versamur extra statum quaestionis: nam ubi opinionem probabilem dicimus, supponimus (n. 64) ejus motivum jam fuisse collatum cum motivo sententiae oppositae et, collatione facta, manere sufficiens ad prudentem assensum.

**4° Obj.** Ad licite operandum debemus veritatem diligere. (Zach. VIII. 19) Hoc autem sane non praestat qui, posthabita opinione certo probabiliori, se committit minus probabili.

**Resp. a)** Amor veritatis postulat utique ut illam inquiramus et, ubi eam invenerimus, amplectamur. Verum in hypothesis objicientium, non habemus nisi duas apparentias veritatis inter se oppositas, et, quamvis detur major ratio existimandi veritatem repereri in sententia pro lege, simul cernimus eam posse prudenter supponi in sententia quae pro libertate militat. Ergo nihil cogit nos ut, cum periculo erroris, omnino amplectamur sententiam pro lege.

**b)** Falso supponitur oportere ut is qui sibi efformat iudicium practice certum e principiis reflexis, assentiatur speculative sententiae minus probabili pro libertate: sufficit enim ut iudicet hanc sententiam niti motivo objective gravi seu esse probabilem. Abest ergo illa imprudentia qua quis, perspicue cernens unam opinionem esse probabilioris quam oppositam, hanc prae illa sequeretur tamquam verisimiliorem.

**5° Obj.** Probabilismus purus ad laxismum ducit, ut constat e multis erroribus in quos inciderunt antiqui probabilistae et e laxitate damnosa opinionum quam videmus etiam nostris diebus vigere inter multos catholicos: quae potissimum e laxitate opinionum in administrando poenitentiae sacramento provenit.

**Resp. a)** Incredibile est systema quod natura sua ad laxitatem ducat, dominatum esse et adhuc dominari (quod ab adversariis non negatur) tum Romae, tum in reliquo orbe catholico, Romanis Pontificibus minime in seipsis.



b) Errores in quos impegerunt aliqui AA. antiquiores, puta de sequenda opinione minus probabili in conficiendis sacramentis, relicta tutiori, nequaquam ex ipso systemate provenerunt, sed ex imprudenti applicatione probabilismi ubi alius erat status quaestionis. Cfr. n. 68. Quare immerito exprobrantur hodiernis probabilismi puri fautoribus.

c) Si qui impingunt etiam hodie in laxismum qui non sit mere practicus, sed simul speculativus, id potissimum provenit e nimia facilitate qua, sine scientia vel investigatione sufficienti, opiniones probabiles effingunt. Sed hujusmodi homines eadem temeritate fingerent sententias fere aequae probabiles pro libertate si aequiprobabilistarum placitis adhaerent.

d) Manifeste apparet objectionis inanitas e discrimine tam exiguo quod practice inter Theologos utriusque scholae viget. Cfr. n. 73.

#### § 4. DE REGULIS SECUNDARIIS PROBABILISMUM DETERMINANTIBUS

75. Regula primaria probabilismi puri " Lex dubia non obligat „, intellecta de lege cui opponatur opinio vere et solide probabilis, per se ad conscientiam in dubiis practicis formandam sufficit. Adhibentur tamen non raro ab AA. aliae regulae secundariae quae praesertim juvant ad dignoscendum quandonam opinio libertati favens sit vere et solide probabilis. Has proinde breviter hic explicabimus quatenus id ad scopum nostrum conducit.

Hae regulae pleraeque e Sexto Decretalium libro (De regulis Juris, ad calcem libri 5<sup>i</sup>) desumptae ac proinde authentice a Bonifacio PP. VIII promulgatae sunt; quaedam vero sunt Juris civilis axiomata vel sententiae communiter a DD. receptae, ideoque auctoritate S. Sedis non muniuntur. Directe quidem ad forum externum spectant. Attamen, cum generatim praesumendum sit internum forum cum externo concordare, etiam in dirigenda conscientia attendendae sunt, nisi constiterit eas ob quamdam discrepantiam utriusque fori, ad solum externum esse restringendas.

76. I. *In pari delicto vel causa, potior est condicio possidentis.* (Reg. J. 65<sup>a</sup> in 6<sup>o</sup>)

Huic principio, quod saepe brevius enuntiatur his verbis: *Melior est condicio possidentis*, plurimum innituntur aequiprobabilistae: quare accuratius explicandum erit.

Sensum hujus regulae pro foro externo, ad quod primario pertinet, ita explanat Reiffenstuel (Jus Canon. univ. h. l.): " Quando duo in eadem causa rei sunt delicti, v. gr. si unus ex delicto dat et alter ex delicto accipit, melior est condicio possidentis, ita ut restituere amplius

non teneatur. Item si duo parem causam absque delicto habent, pariter melior est condicio possidentis, ideoque a possessione dejici non potest, donec adversarius legitime probet se meliori jure gaudere. „

Adversarii ex hoc principio, cum reliqua doctrina sua collato, hanc conclusionem deducunt: " Concurrentibus argumentis aequae vel fere aequae probabilibus, in dubio de legis cessatione, sequenda est, quae legi favet, opinio. „ (Marc, Thesis II de Probab.) Quam sententiam ita probat idem A. (n. 96): " Jura libertatis et legis, ut par est, semper aequalia habet S. Alphonsus. Sicut quando lex est certa, inquit, et dubitatur an sit revocata, in dubio servanda est, donec de revocatione constet, quia tunc lex possidet, ita contra, quando lex non est certa, possidet libertas. Quae verba logice in hunc modum convertuntur. Sicut libertas possidet quando lex non est certa; ita contra, quando lex est certa et dubitatur an sit revocata, servanda est, donec de revocatione constet, quia tunc possidet lex. „ Hi scilicet AA. fictione quadam, libertatem et legem exhibent quasi duas personas quae singulae sua jura habeant et circa conscientiam humanam litigent. His applicando axioma de quo agimus, sicut judex illud applicaret duabus personis vere existentibus et aequales probationes afferentibus, litem adjudicant illi parti quae, praeter rationes aequales, habet conscientiae possessionem.

Nos autem hoc principium in foro interno valere admittimus ubi dubium quod exoritur est negativum, seu veram solidamque probabilitatem non attingit. Ideo nobis hunc sensum affundit: Non est attendenda levis ratio contra legem aut libertatem moraliter certam. Negamus vero illud axioma jure applicari in foro interno ad restringendam libertatem cui faveat sententia vere et solide probabilis.

**RATIONES.** 1<sup>o</sup> Si (ut nobiscum admittunt aequiprobabilistae) lex dubia non obligat praecise quia dubia est, numquam obligabit lex dubia. Atqui lex est aequae dubia, quando probabile est eam desiisse quam quando probabile est eam non existere. Ergo, etiam quando dubium circa legis cessationem versatur, lex non obligat.

*Minor* inde patet quod lex obligans non est lex in abstracto, neque lex quatenus antea exstitit, sed lex quatenus hic et nunc nos suo vinculo ligat. Jamvero, si probabile est legem hic et nunc vinculo suo non ligare, probabile est legem me hic et nunc vinculo suo non ligare, perinde ac si numquam ligasset. Cfr. Bucc. Th. Mor. I. de Consc. n. 31.

2<sup>o</sup> Ubi datur vera probabilitas pro libertate, non est paritas inter forum internum et forum externum. Nam, ut optime scribit Bouquillon (Theol. Mor. fund. n. 296): " a) Statim ac incerta evadit obligatio, simul incerta fit actualis ejus possessio; privilegium autem, de quo supra, valet tantum pro actuali possessione certa; b) praecedens obligationis